

lem, non secundum potentiam proximam et proportionatam etiam partialiter. Quod vero ibidem dicit D. Thomas sufficere liberum arbitrium ad eliciendum actum, quo se præparat ad gratiam, et similiter id repetit ibidem dist. xxviii, q. i, art. iv, per ly solum liberum arbitrium, non excludit auxilium gratiæ impressum potentiæ, sed ly solum excludit donum habituale præsuppositum et requisitum ad præparandum se ad gratiam, nam aliqui dicebant requiri non solum auxilium actuale, sed etiam aliquod donum habituale, ut præparetur homo ad gratiam, et hoc locis istis impugnat. In loco autem citato ex 2-2, non intelligit D. Thomas quod dilectio Dei non sit supernaturalis quantum ad substantiam sumendo substantiam pro specie actus, ut sumimus in præsentia, sed negat esse supernaturalem quoad substantiam, et docet esse supernaturalem quoad modum, sumendo supernaturale quoad substantiam pro eo quod est supernaturale ex parte, et modo operandi subjecti (subjectum est substantia) supernaturale vero quoad modum, pro eo quod est supernaturale ex modo attingendi ipsum objectum extendendi ad illud. Itaque sensus est: quædam ex modo attingendi objectum supernaturalitatem habent, procedunt tamen a subjecto, seu a substantia ipsa, in qua sunt juxta connaturalem modum subjecti, id est, ab ipso ut a causa principali, et accommodando se modo subjecti, seu substantiæ operantis, sicut alii actus naturales; et tales actus exigunt ex parte subjecti habitum ut principium connaturaliter operativum, ut diligere Deum et cognoscere in speculo creaturam per fidem, etc. tales actus attingunt objectum modo supernaturali, sed procedunt a subjecto modo simili aliorum actuum, id est, tamquam a causa principali, et

supponendo principia per quæ regulatur ille actus, ut dilectio supponit fidem, et fides intelligit res utendo speciebus consuetis, et repræsentando divina ad instar creaturarum. Aliquando vero actus excedunt etiam modum operandi subjecti, et dicuntur supernaturales quoad substantiam, id est, etiam quoad modum qui tenet se ex parte subjecti operantis quod est substantia, sicut miracula facere, quod non potest creatura, nisi ut causa instrumentalis, non principalis, et cognoscere occulta sapientiæ divinæ lumine prophetico, ad quod nulla habentur principia ex parte hominis, quia hæc tantum continentur in essentia divina, et cui Deus ea voluerit revelare. Unde ad hæc in nobis non datur habitus, sed requiritur actualis, et particularis illustratio Dei. Et hoc vocat D. Thomas supernaturale quoad substantiam, quod non exigit permanens, et habituale principium ex parte subjecti, seu substantiæ operantis.

XXVII. Quæ autem dicta sunt de vitalitate, pari modo observanda sunt in libertate respectu actuum supernaturalium procedentium a voluntate in hac vita. Est enim commune omni habitui determinare voluntatem ex parte objecti principii operandi non determinatione necessitatis, et coactionis, sed inclinationis, quæ nullo modo tollit indifferentiam dominii, quæ est in libertate, imo talis inclinatio manet subiecta quoad suum usum voluntati, nam de ipsa etiam prophetia dicit Apostolus: *Quod spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt*, I ad Corinth. xiv, scilicet quantum ad usum æternæ manifestationis. Quare determinatio ista habituum neque in habitibus virtuosis, neque in pravus, neque in naturalibus, neque in supernaturalibus quidquam obest libertati, quia determinat eam in-

clinando solum juxta modum suum. Ulterius autem habitus supernaturalis reddit libertatem elevatam, ad hoc ut actus ille fiat liber non libertate ordinis naturalis, sed supernaturalizata, et elevata, sicut de vitalitate dictum est. Ita enim habitus relinquit voluntatem in suo modo operandi libere, ut possit oppositum facere, vel cessare ab operatione, non quidem per ipsum habitum faciendum oppositum, sed per ipsam voluntatem, non impediendo et repugnante habitu. Sed si voluerit per ipsum operari producit actum sub utilitate, et libertate elevata, eo quod actus ille dicitur liber per respectum ad voluntatem non nudam, sed elevatam ad operandum modo supernaturali vel omittendum, ex sua natura. Et quia libertas in actu non est aliud, quam respectus ad potentiam liberam, nihil etiam aliud est dari in actu libertatem elevatam, quam dari in eo respectum ad potentiam indutam forma supernaturali, et elevatam ad operandum libere in ordine supernaturali per modum inclinationis supernaturalis, quæ liberum modum relinquit, non tollit.

XXVIII. Ultimo, pro intelligentia pleniori hujus nostræ resolutionis duo præ oculis habenda sunt. Primum est, ad vitalitatem actuum sufficere quod procedant a principio intrinseco se movente, non tamen requiri quod hoc principium constituatur proportionatum, et proxime activum per virtutem ab intrinseco provenientem, sed potest provenire ab extrinseco, et elevare ac proportionare principium vitale, dummodo non tollat a tali principio, quod possit esse se movens, etiam ut subjicitur tali virtuti; sicut libertas potest operari per virtutem superadditam, et determinationem ab extrinseco derivatam, dummodo talis sit, quod non tollat modum operandi libere a

voluntate ut subjicitur tali determinationi, et virtuti. Et sic principium vitale non requiritur quod concurrat ad omnes actus vitales media activitate, et virtute proxima ordinis naturalis, sed quod sit tale principium, quod ab extrinseca radice animæ habeat operari se movendo, aliquando per virtutem sibi connaturalem, si actus fuerit ordinis naturalis, aliquando per superadditam, et supernaturalem, si actus fuerit ordinis supernaturalis, quia illud principium vitale est talis naturæ, quod per virtutem elevatam et supernaturalem licet ab extrinseco sibi proveniat, ita perficitur, quoad affectum et elevatum tali virtute etiam se movet, non minus, quam per virtutem activam naturalem, quia hoc petit ejus natura, ut sit capax se movendi etiam ut elevatum est, et ut induit virtutem illam superadditam.

XXIX. Secundum est, quod qualitas activa, seu virtus superveniens alicui tripliciter potest se habere ad illud. Primo modo, ut qualitas pure recepta in subjecto, non autem supponens aliquod principium activum quod crescat et elevetur per talem qualitatem superadditam, sicut calor recipitur in ferro, vel in aqua, et mediante calore operantur, non quia aliqua activitas eorum præsupposita a calore perficiatur, et crescat, sed præcise quia qualitatem activam recipiunt. Unde quasi per accidens dicuntur agere per calorem, quia videlicet recipiunt, et sustentant qualitatem, quæ activa est, subjecto autem recipienti per accidens est, quod recipiat qualitatem, quæ activa sit, nec recipit illam ut activitatem, sed ut formam informantem se: quæ vero recipiunt aliquam activitatem seu virtutem non præcise, quia forma informans est, sed quia activitas est, non se habent ut præcise

recipientia, sed quia activa sunt imperfecta tamen, vel improporcionata, petunt majorem illam activitatem, ut activiora reddantur. Et alia dicuntur ratione activitatis superadditæ per se agere, quia in ratione activi principii illam respiciunt, et recipiunt non in ratione pure receptivi tantum illa informantur, sicut aqua informatur calore, quæ ratione sustentationis, et receptionis qualitatis activæ præcise agere dicitur. Alio modo forma superaddita ad agendum, se habet ut motio non quidem elevativa virtutis ut reddatur elevatior in agendo, et movendo se, sed elevativa operationis ut scilicet operando aliquid ex se attingat aliud ut mota et deserviens superiori moventi. Et hoc est proprium instrumentorum, quæ operantur ut præcise mota ab alio, et ut deservientia superiori agenti deferendo ejus motionem, et quasi disponendo et modificando eam ut egrediatur juxta modum instrumenti, sed ultra virtutem propriam operando. Tertio modo qualitas activa impressa ab extrinseco habet se ut elevans, non solum ipsam operationem, sed elevans, et habitans aliquod principium activum de se, et non pure receptivum, sed tamen improporcionatum, et remotum respectu alicujus actus seu effectus, proportionabile autem et elevabile per supervenientem virtutem. Et hoc modo elevantur potentiæ vitales ad actus supernaturales, non solum ut actus fiat in entitate supernaturalis, sed etiam in vitalitate, quia ad vitam æternam seu ad vivendum modo æterno et supernaturali elevatur.

XXX. Itaque in talibus potentiis non supponitur principium mere passivum, et sustentativum sicut aqua respectu caloris, quæ formaliter solum respicit calorem ut formam informantem, quod vero sit

activa est per accidens illi: sed supponitur principium activum improporcionatum tamen et inferioris ordinis, sed capax ut elevetur, quæ quidem elevatio recipi debet in ipso, et ad recipiendam ipsam passive se habet, sed quia non recipit illam ut præcise informetur ab illa, et sustentet illam in esse, sed ut proportionetur, in activitate, ideo dicitur supponi principium activum radicale et remotum, non radicaliter per modum virtutis continentis elevationem, quæ oriatur ab ista radice, sed radicaliter obedientialiter, et elevabiliter, id est, tamquam principium activum improporcionatum, et inferioris ordinis, non autem ut principium aliquo modo sufficiens, et in se imperfectum, et ideo partialiter influens imperfecte. In hoc enim valde vigilandum est, quia est totus punctus differentiæ inter nos, et auctores oppositos, quia aliud est principium imperfectum et non sufficiens, aliquid tamen habens proportionatæ virtutis, et hoc modo dicunt oppositi auctores se habere intellectum ad actum supernaturalem, et hoc vocant potentiam obedientialem activam; aliud est principium improporcionatum, elevabile tamen ut proportionetur, et hoc modo nos dicimus se habere intellectum respectu actuum supernaturalium ad quos habet principium activum, sed sine proportionem proximam, non solum cum imperfectione. Et totam virtutem ut proportionatam habet ab extrinseco, et ad habendum illum passive se habet, non active, sed quia non habet illam præcise ut informetur ab illa in esse; sed ut proportionetur in agere, ideo præsupponi debet principium activum elevabile, et proportionabile, non aliqua activitate proportionata, et proxima etiam imperfecta ordinis naturalis in illum actum influente,

sed ut totam proportionem ab elevatione habens. Et hoc est esse principium activum radicale et remotum, non vero esse potentiam obedientialem activam, quæ videntur solis verbis differre, vere autem differunt in se, quia principium activum radicale est principium activum improporcionatum, capax autem ut elevetur ad hoc ut reddatur proportionatum, et agat, non ut pure informetur et recipiat in esse, aguntur enim (ut inquit Augustinus) ut agant, non ut nihil agant, et cor hominis non est dicendum, quod nihil omnino agat inspirationem Dei recipiens, ut inquit Concilium, sess. vi, cap. v, ideoque præsupponi debet principium activum radicale et obedientiale, et non mere passivum, quia si recipit, est ut elevetur ad agendum et ut in activitate sub ratione activitatis crescat et proportionetur, non ut in ratione formæ informantis præcise recipiat, ideoque tota proportio activitatis est ab illa forma superveniente, non totum principium agendi elevabile et præsuppositum. At vero potentia obedientialis actus, quam alii auctores ponunt est principium activum aliquam proportionem proximam habens, sed imperfectam ad influendum, non quidem ad influendum id quod supernaturalitatis est, ad id enim nullam proportionem habet, sed ad influendum aliquid naturalitatis, quod relucere existimant in actu, scilicet vitalitatem, quam naturalis ordinis esse dicunt. Nos autem quia nihil naturalitatis in tali actu agnoscimus, sed etiam vitalitas ipsa elevata est, et æterna vita redditur, dicimus nullam potentiam activam obedientialem proximam, et proportionate influentem dari etiam partialiter.

INTELLECTUS IN VISIONE BEATA NON CONCURRIT INSTRUMENTALITER.

XXXI. Loquimur consulto de intellectu, non de toto conjuncto ex intellectu et lumine, hoc enim non indiget alia superaddita virtute etiam instrumentaliter ad operandum, sed connaturaliter operatur per lumen; loquimur ergo de intellectu solo, quia hoc movetur ad supernaturaliter operandum, et ita dubium esse potest an etiam instrumentaliter?

XXXII. Pendet autem tota hujus intelligentia ex diverso modo accipiendi apud auctores illum terminum instrumentaliter. Nam quidam accipiunt operationem instrumentalem pro ea, quæ procedit ab aliquo agente ultra spheram suæ propriæ virtutis, ita quod operetur aliquid propria virtute, et aliquid ultra illam. Et hoc modo sumendo instrumentum dicunt aliqui posse reperiri in actibus et potentiis vitalibus, nec esse de ratione instrumenti, quod sit præcise motum ab alio, sed hoc solum inveniri in instrumentis in animatis, posse autem reperiri etiam instrumentum se movens per hoc solum quod operetur aliquid ultra propriam virtutem, ita quod propria virtus in aliquo cooperetur, et in alio ultra propriam virtutem agat, sicut intellectus in visione beata propria virtute cooperatur ad vitalitatem, ex elevatione autem luminis ultra propriam virtutem operatur id quod supernaturale est in visione, et hoc modo existimat pater Suarez intellectum concurrere instrumentaliter in visione beatifica, et in aliis actibus supernaturalibus, optimeque posse coherere, quod actus sit vitalis, et vitaliter a potentia se movente, et sit ab eadem instrumentaliter, ut

videri potest primo tomo, III p. disp. xxxi, sect. vi circa solutionem iv argumenti, et lib. II de attributis negativis, c. xiv et tomo II de gratia, lib. VI, c. VII; pater Vazquez hic disp. XLVI, c. II; Arrubal disp. XIX, c. VII, qui tamen concedit, quod lumen est ratio agendi principalis, et sic beatum informatum lumine gloriæ esse agens principale, quia huiusmodi principium proportionatum est visioni, et per concursum simultaneum eam potest producere, sed tamen inquit quod intellectus prout operatur per innatam activitatem est instrumentum, quia secundum eam rationem indiget elevatione, et producit ultra propriam virtutem et proportionem supernaturalem actum. Itaque apud istos auctores omne elevatum in operando est instrumentum.

XXXIII. Alii vero e contra existimant ad rationem instrumenti non sufficere, quod aliquid per elevationem, et virtutem superadditam operetur ultra proportionem propriæ virtutis, sed ulterius requiri duas conditiones essentialiter ad rationem instrumenti, prout opponitur causæ principali; alteram, quod instrumentum in quantum instrumentum operetur, ut pure motum ab alio, ita quod tota ratio operandi sit motio non vero motio solum se habeat ut conditio requisita, eo quod ratio formalis instrumenti debet consistere in hoc, ut operetur ministerialiter, et consequenter ut deserviens, et subjectum alteri, et ab illo motum: ita quod hæc sit formalis ratio instrumentalis operandi. Non enim sufficit ad rationem instrumenti, quod operetur dependenter ab alia causa, sicut patet in omni causa secunda, et inferiori, quæ dependet a superioribus, et tamen non est instrumentum, sed causa principalis; sed discriminantur causa principalis secunda et in-

ferior a causa instrumentali, quod causa principalis proprie intendit operari effectum sibi proprium et similem, causa autem instrumentalis non intendit proprium effectum, sed servire, et ministrare alteri causæ operanti, unde formaliter pertinet ad ipsam respicere alienum effectum non proprium. Et hinc nascitur secunda conditio omnino requisita ad rationem instrumenti, scilicet quod actus seu effectus procedens ab instrumento non assimiletur ipsi, sed principali agenti cui deservit, et ministrat, sicut serra non producit serram, sed scamnum similem ideæ artificis, et medicamentum adhibitum a medico, et cooperans naturæ non producit alterum medicamentum, sed sanitatem. Et ita quantumcumque aliquid agens recipiat virtutem participatam ab alio, si tamen producit effectum sibi proprium, et similem non operatur deserviendo et ministrando alteri, sed producendo sibi, quod videtur maxime proprium causæ principalis, sicut luna vel corpus diaphanum producit lumen, ut causa principalis, cum tamen recipiat vim illuminandi, quæ est lumen a sole, non autem illuminat, ut instrumentum, quia assimilat sibi rem illuminatam.

XXXIV. His ergo suppositis, licet quæstio hæc multum habeat de modo loquendi, quantum ad rem tamen, et secundum modum magis communem, et usitatum loquendi de instrumentis, sine dubio præponderat illa sententia, quæ negat intellectum in visione beata concurrere instrumentaliter, sed habere se ut causam principalem, operantem tamen ex virtute participata. Quam sententiam sequuntur communiter Thomistæ, de quo videri potest magister Gonzalez hic disp. xxvii, sect. v et sine dubio videtur D. Thomas qui 2-2, q. xxiii, a. II docet,

actus fidei, et charitatis non esse instrumentaliter a potentiis. Verba D. Thomæ sunt: « Motus charitatis non ita procedit a Spiritu Sancto movente humanam mentem, quod humana mens sit mota tantum, et nullo modo sit principium huius motus, sicut cum aliquod corpus movetur ab aliquo exteriori movente se, hoc enim est contra rationem voluntarii cuius oportet principium in ipso esse. Similiter etiam non potest dici, quod sic moveat Spiritus Sanctus voluntatem ad actum diligendi, sicut movetur instrumentum, quod et si sit principium actus, non tamen est in ipso agere, vel non agere, sic enim tolleretur ratio voluntarii, et excluderetur ratio meriti, sed oportet quod sic voluntas moveatur ad Spiritu Sancto ad diligendum, quod etiam ipsa sit efficiens hunc actum. » Ita D. Thomas, ubi in prioribus verbis excludit instrumentum inanimatum, sicut cum lapis movetur, seu projicitur, movetur enim lapis, ut instrumentum inanime medio impulsu. In secundo loco excludit rationem instrumenti, quod aliquid principium actus in se habet, quo nomine condistinguit hoc genus instrumenti a priori, quod est omnino inanime, et consequenter illud, quod oppositi auctores vocant instrumentum vitale aut voluntarium, hic excludit D. Thomas, quia condistinguit illud ab inanimato; sed tamen hoc instrumentum dicit tale esse quod non est in eo agere vel non agere, et cum hoc conveniat illi ex eo quod operatur ut motum ab alio, et ex alterius actione, non ex propria, pari ratione tollit rationem vitalis sicut rationem voluntarii. Dicendum est ergo non esse voluntatem, aut intellectum instrumentum actus supernaturalis, sed esse efficiens et non instrumentum, nec repugnare quod aliquid sit principale agens, et ta-

men ex virtute recepta et derivata a superiori agente operetur.

XXXV. Unde sumitur fundamentum hæc sententia, quia de ratione instrumenti est, ut operetur quidem aliquid ultra propriam virtutem, quam habet ex natura sua, sed non sufficit hoc, sed debet etiam operari ultra virtutem, quæ sibi facta sit propria ex participatione alterius, ita ut non sit ista virtus subjecta proprio motui, et usui, sed alterius cui deservit et ministrat, si enim causa illa ita participat aliquam virtutem ab alio, quod potest uti ea et movere se ipsum cum ea, aut (ut uno verbo dicam) ita operari cum illa ac si esset ex propriis naturæ orta, parum interest, quod sit ultra proportionem propriæ, seu nativæ virtutis, dummodo non sit ultra hanc, quam habet participatam et subjectam suo usui. Et ratio est clara, quia si habet illam virtutem ita suam, et sibi subjectam, ut uti possit illa ut voluerit et perinde ac si esset orta ex propriis, in operatione illius, sibi et non alteri deservit et ministrat, ergo habet rationem causæ principalis, et non ministerialis, seu instrumentalis, quia hæc desumitur necessario per ordinem ad alterum cui deservit et ministrat, non in ordine ad se, et ad agendum pro se; ita enim sibi datur altior illa virtus, quod ut propria illa utitur, et assimilat sibi effectum, non alii ut principali cui deservit. Ad hæc in ratione instrumenti, maxime essentialis est ut condistinguat contra causam principalem tamquam aliquid ei inferius, et non sufficit, quod sit inferius quantum ad dependentiam in causando, et diversitatem ordinis, sic enim causa secunda est inferior ad primam, dependetque ab ea, nec tamen instrumentalis est, sed principalis. Ergo oportet specialem modum inferioritatis, et ministrationis in instrumento

assignare; non est autem alius, nisi quod respiciat alterum cui ut principali deserviat, et cui assimiletur effectus, et a quo moveatur, quod totum repugnat causæ vitali, et liberæ in operando, cum moveat se, et assimilet sibi effectum, id est, actum vitalem faciat vitalitate elevata, et sibi assimilata in quantum elevata est; sicut de facto contingit in visione beata, quæ procedit ut similis intellectui elevato, et supernaturalizato in vitalitate, et supernaturalitate, et consequenter procedit ex concursu Dei connaturali, et debito intellectui sic elevato, quia ille concursus tribuitur ad assimilandum sibi effectum, ergo non est concursus tamquam cum instrumento, sed tamquam cum causa principali. Nec obstat, quod respectu intellectus in sua activitate naturali considerari se habet ut virtus elevans, et sic videtur uti illo ut instrumento. Contra enim est, tum quia virtus illa elevans non utitur virtute activa intellectus ut præcise mota, sed ut movente se etiam in usu talis virtutis elevatæ, nec recipit illam virtutem ut effectus assimiletur alteri agenti, et ut ei ministret, sed ut assimiletur sibi, et vivat in se per illum, ergo non utitur intellectu ut instrumento, sed causam principalem constituit, licet elevata; tum etiam quia ut supra ostendimus intellectus non agit per aliam activitatem, quam per elevatam et supernaturalem in elicienda visione; si autem etiam virtus activa naturalis concurrat respectu alicujus formalitatis relucens in effectum, respectu illius non instrumentaliter se habet, sed principaliter, cum sit ei proportionatum. Si vero consideretur alia formalitas, scilicet supernaturalitas in visione, respectu hujus tota ratio operandi est lumen, et respectu illius concurrat ut causa principalis, scilicet assimilando sibi

effectum, id est, visionem ut supernaturalem, et per concursum sibi connaturalem et debitum in illo ordine, ergo intellectus ut subjectus lumini operatur, ut causa principalis illam supernaturalitatem, et non solum ministrando alteri agenti, et assimilando ei affectum, sed sibi ut elevato, vitalitatem autem etiam operatur ut causa principalis adhuc in sententia opposita, quia secundum illam est a virtute activa naturali et proportionata illi effectui. Unde ergo, et ratione cujus convenit hic causalitas instrumentalis?

XXXVI. Denique, ut exemplo manifesta fiat veritas nostræ sententiæ, considerandum est, quod aliquando viventia accipiunt virtutem ab extra, ut operentur aliquid ultra propriam speciem, nec tamen dicuntur instrumentaliter agere, sed principaliter, ut patet cum in arbore unius speciei, v. g. in opir inseritur ramus alterius speciei ut citrum, et producitur fructus alterius tertiæ speciei, ad quod non sufficiebat virtus propria, aut etiam cum femina suscipit semen alterius speciei ut asina ab equo et producit fœtum distinctæ speciei a propria ex virtute non propria, sed ei communicata, et altioris speciei, quam sua, et tamen non operatur ut instrumentum, sed est vera mater talis fœtus, et talis fructus, ergo bene potest causa vitalis ex virtute superaddita operari aliquid, ad quod non habet ex se proportionem, et tamen ut causa principalis operabitur. Et sic non mirum, quod intellectus suscepto lumine quasi semine et virtute alterius speciei, scilicet divinæ, germinet ex se fructum supernaturalis visionis, non tamen ut instrumentum, sed ut causa principalis elevata.

XXXVII. Ex quo solvitur fundamentum oppositæ sententiæ. Fun-

datur enim p. Suarez in eo quod intellectus non operatur in visione beata per virtutem propriam, sed per potentiam obedientialem, cujus proprium est moveri non movere, causa principalis debet esse illa, quæ potest operari per se, et non solum ex obedientia ad alterum. Affert etiam signum hujus instrumentalis operationis, quia in istis operationibus supernaturalibus potest magis, ac magis operari in infinitum sine termino, quod est signum instrumentalis agentis non principalis, quæ est determinata erga suum effectum. Sed respondetur quod intellectus operatur per potentiam obedientialem elevabilem ad operandum, non solum ministerialiter et ut motus, sed principaliter ut assimilans sibi effectum; ad causam autem instrumentalem magis attenditur ordo ad principale agens cui ministrat, quam ordo ad effectum, quæ non sibi sed principali agenti assimilatur, causa autem principalis directius respicit effectum quem ut proprium et similem sibi intendit quam alia quibus ministret, licet ut effectum faciat etiam ab aliis causis dependeat. Et ita bene potest aliquid principium ex se solo habere potentiam obedientialem, et tamen recepta virtute alio operari ut causam principalem, quia non recipit illam, ut deserviat et ministret alii, sed ut effectum sibi similem producat, supposita tali elevatione. Quare ad discernendum causam principalem ab instrumentali, non debet attendi a quo principio virtus operans derivetur, et an sit elevata vel extra proportionem propriæ et nativæ virtutis ejus cui datur, an non sed solum ad quem finem datur, scilicet ad assimilandum sibi, et modus secundum quem datur, scilicet ad operandum ratione sui et pro se et per virtutem postulantem concursum debitum et connaturalem,

an ut præcise motum ab alio. Ad id quod addebat p. Suarez de actibus supernaturalibus, quod possunt perfici in infinitum, respondetur hoc non esse sufficiens signum instrumentalis operationis, sed solum potentis obedientialis ad agens infinitum, a quo participari potest virtus sine terminisyncategorematicæ, quamquam aliqui velint etiam in istis formis supernaturalibus dari terminum finitum argumenti, ultra quod crescere non possint, in qua sententia non habet locum argumentum. Si tamen possunt crescere in infinitum etiam in illa sententia potest calor ignis vel lux solis de potentia absoluta augeri a Deo sine termino, non tamen propterea sol et ignis operantur instrumentaliter in calefaciendo, et lucendo.

## ARTICULUS III.

*Utrum lumen gloriæ habeat rationem causæ dispositivæ ad unionem cum divina essentia, et ad recipiendam visionem?*

I. Supponimus ex disputatione præcedenti divinam essentiam loco speciei uniri intellectui beati. Supponimus etiam ex philosophia visionem seu actum immanentem recipi in potentia eliciente illam. Inquirimus an lumen gloriæ reddat intellectum habilem et dispositum ad accipiendam istam, et uniendam illam, ita ut in hac parte gerat vicem causæ dispositivæ et materialis.

II. Negat hoc munus lumini gloriæ p. Vazquez hic disp. XLIII, cap. III, tum ad unionem essentiæ divinæ, tum ad receptionem visionis. Utrumque eodem fere probat fundamento, quia ad recipiendam formam accidentalem supernaturalem non est necessaria alia dispositio, quia